



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Fvlvii Androtii, Societatis Iesv, Piæ meditationes de
Passione & Morte D. N. Iesv Christi**

Androzzi, Fulvio

Coloniæ Agrippinæ, Anno MDCIII

Mysterium septimum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48634)

Oratio.

Domine Iesu Christe oro te per omnes iniurias, quæ tibi vno eodemque tempore sunt illatæ, per contumelias & cruciatus, quos passus es, & per ardentem amorem tuum, vt mihi largiri digneris gratiam, vt similes iniurias amore tui patiar, & pro singulari fauore habeam, si stultus habear, ac cognoscam veram Christiani hominis sapientiam esse in faciendis bonis, & perferendis malis, & vt stultus pro te mi Domine æstimer.

Mysterium septimum.

Quod Christus deterior & vilior habitus sit ipso Barraba, homine seditioso, homicida publico, infami & nebulone: & quod indignior vita habitus sit, quàm latro manifestus. Quæ iniuria fuit vna de maximis, qua Iudæi Christum Dominum affecterunt.

End.

Puncta consideranda.

1. Obstupesce, quomodo Iudæi tam parui fecerint Christum alioquin vita sanctissimum, doctrina diuinum, & miraculis admirandum, & qui omni tempore singularibus omnes affecerat beneficijs.
2. Obstupesce, ob incredibilem Christi humilitatem, qui permisit se comparari cum Barraba, eidemque postponi.
3. Obstupesce, ob confusionem eius publicam, stat enim nudus, sanguinolentus, vulneratus, in populi quoque conspectum protractus.
4. Obstupesce, ob inconstantiam populi clamantis, crucifige, crucifige, cum Dominica præcedenti clamauerit: Benedictus qui uenit in nomine Domini.
5. Obstupesce, ob iniquum mundi iudicium, qui reum anteposit innocentem.

CONFESSIO.

1. Quoties amorē mundi, qui est Barabæ, anteposuerimus amorī Dei, hoc est voluntatem nostram diuinæ?

C. 71

Quod.

2. Quod tantopere indignemur, quādo non comparamur personis honoratis & præstantibus.
3. Quod pudeat nos facere benè propter alios, & propter infœlicem hunc mundum.
4. Quod tam facilè offendamur in rebus leuissimis.
5. Quod tanti faciamus huius mundi iudicium, Dei autem iudicium contemnamus, in rebus quoque nostris potius spectemus, quid dicturus sit mundus, quam quid dicturus sit Deus.

PETITIO.

Pro te gratiam nihili faciendi iudicium mundi: quandoquidem ipse mundus tam ineptus est, vt Barrabam anteposuerit Christo.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, si tu, cum es es Deus verus de Deo vero, consubstantialis patri, per quem omnia creata sunt, passus es te comparari cum Barraba latrone & homicida, eidem que postponi, quare ego, qui sum terra & pulvis & indignus (propter peccata mea)

DE PASS. DOMINI. 63

mea) vt viuam diutius, cur me non post-
ponā omnibus creaturis? Et cur ego non
contemnam iudicium mundi, aded stul-
tum & insipiens, quod dicit malum esse
bonum, amarum esse dulce, & æternam
sapientiam postponit ipsi stultitiæ? Age
ergo dulcissime Iesu, libera me quæso
per immensam tuam charitatem à tanta
cæcitate, quæ te ad res tam indignas per-
ferēdas commouit, vt perpetuò laudem
& extollam patientiam & bonitatem tu-
am, qui es benedictus in sæcula sæculo-
rum. Amen.

Mysterium octauum.

Quomodo Iudæi Christo iam fati-
gato, & fracto, grauissimam cru-
cem portandam imposuerint; ve-
nempe cor eius prius dolore mortis per-
cuteretur, quàm ipse moreretur. O cru-
delitatem nusquam lectam, nunquam
auditam, nec excogitatam.

Puncta consideranda.

1. Compatere Christo, qui tum cum
maxima illi quiete opus esset, cogitur a-
cerbum onus illud suscipere.
2. Considera promptitudinem eius in
suscipienda & ferenda cruce.
3. Humilitatem maximam.

Cha-